

civitatis cum iis qui possident. Sed absurdior sane longe haec est et contra sui ipsius fundamenta. Ipse enim nos docuit libro 3. capite 5. εὐποροῦσι μὲν γὰρ ὀλίγοι⁸⁶, *divites sunt pauci*, vulgus vero, quos ubique πολλούς, *multos* vocat, *pauperes* sunt. Non est ergo
 5 possibile, ut πολλοὶ εὐποροῦντες, *multi divites sint* sed οἱ ὀλίγοι, *pauci*, a quibus etiam nomen oligarchiae deductum ait:⁸⁷ *Absurdum quoque est dicere duas esse civitates, eam quae est oligarchia, divitum et pauperum.* Nullam tamen huius absurdi adducit causam, nam quod subiungit:⁸⁸ *Quid enim ipsa magis Laconica passa est vel*
 10 *quavis alia?* Non facit minus verum Platonis dictum. Non enim hanc magis id habere dicit quam alias, sed tantum id oligarchiam habere asserit. Quod etiam Aristoteles ipse confirmavit alibi.

Addit:⁸⁹ *Cum multae sint causae, ob quas fiant mutationes, non dicit nisi unam.* Dicimus nos non fuisse Platoni propositum aut
 15 omnes mutationes aut omnes mutationum causas persequi et eam, quam dicit unam, ad suum facere propositum, quod fuerat ostendere peccata, quibus eae res publicae ab optima declinarent. Adiungit:⁹⁰ *Quoniam helluones foenoribus consumpti fiunt pauperes, quasi a principio divites essent omnes.* Id certe Plato non
 20 supponit omnes a principio fuisse divites, sed primum malum ait esse⁹¹ *licere omnia sua vendere et alii acquirere huius bona.* Quae scilicet habet seu multa seu pauca et quando tales plerique cives evaserint, mutatur regimen et fit democratia, quam etiam Aristoteles ait ex pauperibus constare docetque ex oligarchia democra-
 25 tiam aliquando fieri. Nec negat Plato:⁹² *Quando principum aliqui*

⁸⁶ εὐποροῦσι μὲν γὰρ ὀλίγοι. [ARIST. Pol. 1280a.4 – 5]

⁸⁷ ἄτοπον δὲ καὶ τὸ φάναι δύο πόλεις εἶναι τὴν ὀλιγαρχικὴν, πλουσίων καὶ πενήτων. [ARIST. Pol. 1316b.6 – 7]

⁸⁸ τί γὰρ αὐτὴ μᾶλλον τῆς Λακωνικῆς πέπονθεν ἢ ὅποιασούν ἄλλης. [ARIST. Pol. 1316b.8 – 9]

⁸⁹ πολλῶν τε οὐσῶν αἰτιῶν δι' ὧν γίνονται αἱ μεταβολαί, οὐ λέγει ἄλλ' ἢ μίαν. [ARIST. Pol. 1316b.14 – 15]

⁹⁰ ὅτι ἀσωτευόμενοι καὶ κατατοκιζόμενοι γίνονται πένητες, ὡς ἐξ ἀρχῆς πλουσίων ὄντων πάντων. [ARIST. Pol. 1316b.15 – 17]

⁹¹ Τὸ ἐξεῖναι πάντα τὰ αὐτοῦ ἀποδόσθαι, καὶ ἄλλῳ κτήσασθαι τὰ τούτου. [PLATO, R. 552.a.7 – 8]

⁹² ὅταν μὲν τῶν ἡγεμόνων τινὲς ἀπολέσωσι τὰς οὐσίας, καινοτομοῦσιν. [ARIST. Pol. 1316b.18 – 19]